Orbis pictus

Vermes
Marini

AN
Tithymaloides; frutescens; foliis Nerii.

Plum. T. 654? Boerh. J. Alt. I. 259.

NEC
CACALIA
NEC
CACALIASTRUM.

CUM FIGURIS.

MDCCXXX.

GEDANI,
Typis SCHREIBERIANIS.

Statius Theb. III.

Si prohibes ; hic necte moras - -

Lectori Botanophilo

S. & O.

J. Th. Klein.

PLacuit non Nemini **I. F. S.** de Nomine & Persona mihi plane ignoto, Meditationes suas de Planta, quam Præclarus Boerhave in *Indice Altero Plant. Horti Lugd.* dubius pro *Plumierii Tithymaloide, frutescente, foliis Nerii* habuit, mense Aprili Anni præsentis MDCCXXX. Actis *Eruditorum Lipsiensibus* inserere. Hujus fruticis, ejusque fructûs imagines transsumpsit ex figuris, nescio, quo casu ad manus suas delatis, quas olim ære exprimi curavi, ut tali modo commode dubia mea circa Plantam cum Principibus in Re Herbaria Viris communicare potuerim; Neque prævidi, fore, ut præpostere in publicum prodiret Antigraphum, quod publicationem Autographi in animum non induxeram; Imò optassem, ut Vir eruditus Propositum animique sui sensa ante mihi exposuisset, quam Descriptionem Plantæ præcipitasset; Rem au-

tem factam infectam reddere nequeo, sed suo relinquo Auctori, nihilque aliud intendo, quam ut *Lector Botanophilus* ex eo, quod in medium proferam, haud difficulter intelligat, Plantam hanc neque esse *Tithymaloidem*, neque *Cacaliam* nec *Cacaliastrum*. Cæterum Archetypum hujus Plantæ, ad quem se refert Apographum ignoti Dni. Auctoris, *in usum Botanophilorum*, hisce paginis jungam.

Verum est, quod hæc Planta, & si non, ut Dnus. Auctor innuit, haud ita pridem, sed jam mense Novembri anno 1726 primâ vice, apud me floruerit.

Tum temporis inter Nonnullos *Nostratium Viros eruditos* substitit Societas literaria, cui, ut Hospeti subinde interesse mihi licuit. Surculos ipsos floridos maturosque plantæ fructus obtuli Excell. Breynio, Delineationes Societati. Suspicabar *Genus Cacaliæ*, cui *Ille*, Membrum Societatis, annuebat, *ita*, ut huic Plantæ Nomen: *Cacalia aizoides, Arborescens, Foliis Nerii* (non tamen procul omni dubio) impositum sit.

Eodem Anno, & secundo Decembris, Britannorum Botanicorum facile Principi, jam *Desideratissimo Gulielmo Sherardo*, piæ memoriæ, & Iconem & dubia mea exposui:

P. C. Secundum Tournefortium non video, ad quod aliud, præter Cacaliæ *Genus Planta hæc propius accedat; Levem Tournefortius commisit errorem, vel lapsum Calami, quod in Descriptione* Cacaliæ *voculâ* Petalis *pro* flosculis *usus sit; & quodsi* multifariam divisis *poneremus pro* quadrifariam

riam

riam *divisis? Cupio à Te audire, erraverim, nec ne. Si novum Genus plantam hanc constituere arbitraris, Tuarum partium est, Jus Nobis dicere.*

Cum Amplissimo autem *Boerhave*, Patrono summe *venerando*, per literas communicavit Imaginem & fructus Plantæ, mihi conjunctissimus Amicus, Doctissimus Bohlius, illô tempore Amstelodami commorans, cui responsum dedit *Vir Præclarus:*

Gratias Tibi ago, quod effigiem floris fructusque mihi dedisti, quos Amplissimus Cleinius observavit in planta, quam ego dubius Tithymalis subnectebam in Indice Alt. I. p. 259. Scias verò, me vigesimo secundo Octobris, anni vigesimi *in hoc seculo, hic Leydæ observasse, descripsisse propriaque depinxisse manu florem, perianthеum, ovarium, Tubam, Stamina, Pappos hujusce stirpis. Quin & memini ostendere descriptionem præsenti præclaro Sherard in Adversariis meis Botanicis. Sane, quam pulcherrime observata nostra Cleinianis respondent.* Cacaliam *appellare ausus non fui;* putavi, proprii esse penitus ingenii potius; *Potissimum, quod flos monopetalus, tubulum infra, supra ampullam referens, quinquefidus erat, qui in* Cacalia, *si Clusio (R. CXV.) & Tournefortio (J. R. H. 451. Tab. 258.) fides, quadrifidus semper habetur. Accedit, quinque etiam in segmenta dissectum in nostra perianthеum, quod* Cacaliæ *per plura dividitur. Postremò,* omnis forma omnino dispar utrisque. *Cæterum evulgando elegantem descriptionem & imaginem,*

imaginem, rei herbariæ Studiosos demereberis. - - Ego autem jam dudum rescivi, non esse Tithymaloides frutescens Nerii folio: quum inspiciendarum Iconum Plumierii opportuna mihi dein facultas nata fuerit - - Leydæ 17 25/12 26.

Idem superiori anno sentiebat Rei Herbariæ in Gallia Antistes *Jussieu*; Cui per C. G. Fischerum Meum requirenti Effigiem lubentissime miseram; Ille enim novum plane genus hanc plantam requirere, pronuntiabat.

Inter Exteros Alios, cum qvibus Epistolare habeo Colloquium, nuperrime, V. nimirum Idus Quintilis Anni decurrentis 1730, Præstantissimus Josephus Monti Bononiensis, his verbis se explicuit:

Ad plantam verò, quæ in Viridario tuo, tot-quod spectat, cujus Iconem perlustravi, cum Viris Clarissimis DD. Boerhavio *&* Jussieu *convenio, neque scilicet ad* Cacaliam *neque ad* Tithymaloides, *neque, si quid ipse judico, ad quodvis aliud hactenus a Botanicis institutum Plantæ genus referenda est, qua de re novum genus ex ipsa constituendum erit, additâ ad Arbitrium tuum nomenclatione.*

Absit tamen a me, ut facultatem mihi arrogarem, appellandi *novum Genus Plantæ*, cujus nec primus observavi florem, nec auctoritatem denominandæ ullam habeo. Pro amore, quo Studium Botanicum complector, mihi sufficit, nosse plantam; sufficit, quod non sit Tithymalus, non Tithymaloides, nec *Cacalia* nec *Cacaliastrum*; Cæterum sufficiat descriptio, quæ sequitur:

Planta

Planta mea, decem pedes Rhenanos alta, ad ſummitatem in duos ramos diviſa eſt. *Fig.* 1. F. 1.

Radix fibroſa.

Truncus craſſitie, circa radicem & medietatem, pollicem ſuperat.

Cortex ad terram Corylo ſimilis, reliquus ſubviridis & pulverulentus, deciduorum foliorum Cicatricibus notatus.

Folia ſucculenta & acuminata, ad Quincuncem ordinata, ſecundo anno plerumque decidua; Color, abſterſo viſcoſo pulvere, ſature viridis; Coſta diaphana, in ſupernâ parte carinata, in adverſâ *Fig.* 2. eminens. F. 2.

Surculi floriferi, ramoſi, ex intervallo ramorum prodibant, flores floſculoſos *Fig.* 3. ſuſtinentes. F. 3. Flores tertio die marceſcunt.

Flos, floſculoſus, *Fig.* 4. (a) quinque ſex vel ſeptem F. 4. floſculis albis, *quinquefidis*, (b) conſtans, Embryoni inſidentibus (c) & Calice cylindrico, ſuperiori parte *quinquefariam* in ſegmenta acuta diviſo (d) comprehenſis; Capillamento ſubflavo, bifido, incurvato (e), vaginâ luteâ (f) quinque fulcimentis (g) nixa.

Embryo abit in ſemen pappis inſtructum (h).

Doctis-

Doctissimus **I. F. S.** Florem ita descripsit:

Cujus Calix a *est cylindricus*, *integer*, *ad* Margines quinquefidus d (*vide Fig. 3.*)* *plures flores*, *discum conficientes*, *includens*. Flosculus *quisque est* quadrifidus, ** *unde* duæ Tubæ *recurvæ exeunt* c. *Flosculum quemvis* inferius ambit pappus, h, Perianthii instar, *qui pappus hic ita se habet*, *prout in planipetalis descriptus a Botanicis*.

SUFFICIANT!

Scrib. IV. Calend. Januarii.
MDCCXXXI.

---

* Erravit. Figura 3. quam dedit, Nobis est *flosculus* amplificatus, non *Calix* ampliatus.

** Verum si hoc, *Cacaliam* appellares. Sed error, ut solet, errorem trusit. Figura, quæ Auctori 3. audit, descriptioni obloquitur: Clare enim & distincte oculis exhibet *Flosculum quinquefidum*. Ex his erroribus originem sumpsit prætensum Genus *Cacaliastri*; Nam Flores fructusque non vidit *Dnus. Auctor*, & figuræ sine ullâ explicatione (quâ caret Tabula autographa) nonnunquam imponere solent *Rei Herbariæ Studiosis*.


Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3.
Fig. 4